

7. H. 31, 17.

Ye  
5003

Q. D. B. V.

OMINA FELICITATIS,  
EX  
INSIGNIUM ZITTAVIENSIIUM  
CLYPEO  
ad  
NOVUM CONSULEM  
directa,

X 2044 187



d. 27. Aug. M DC LXXXVI.

in  
GYMNASIO ZITTAVIENSI  
publicè proponentur.

Gratulatur, applaudit ac invitat

CHRISTIANUS WEISE, RECT.



ZITTAVIÆ,  
TYPIS MICHAELIS HARTMANNI.





**A**Ntiqva Pietas novum poscit argumentum. Facimus, quod semper factum est: ac Novo tamen CONSULI sacrum cupimus, quod nunquam oblatum est. INSIGNIA laudamus ZITTAVIENSIA, quorum laudes quarto jam seculo possidemus: neq; tamen forte quis ea vidit Hieroglyphica, quæ novam gratulandi materiam exponunt. Sic optimè conspirat annorum felicitas, si prisca subinde fiant nova, ac in vetere velut arbore novam admiremur maturitatem. Felicem diximus HARTIGIUM, quod à STOLLIO non fasces, sed ipsam anni similitudinem videretur accepisse. Felicem dicemus GIRISIUM, si nunc annum ingrediatur Hartigiano non deteriolem. Idem sit annulus, diversa gemma: similis undiqvæq; prosperitas, varia gratulatio. Aliis verbis proferamus, quod eodem affectu penetrabit in animos Patronorum. Nova pictura commendet Clypeum, ne prisca nobis gratia decedat.

Verum id præ cæteris novum sit, quod in Anno Gymnasii Jubilæo acclamationes tendunt ad GIRISIUM. Is PARENTEM habuit CONSULEM ET SCHOLARCHAM, cum ipso nostro Gymnasio natum. Seculum est, quod florere cœpit Gymnasium: Seculum est, quod vivere cœpit Senior GIRISIUS. Et, quia Parentes vivunt in Filiis, Jubilæum nunc est Girisianum. Consulem non haberemus, nisi Annus Scholæ benignus, huic Familiæ fuisset fœcundus. Nunc nobis non renasceretur in Curia CONSUL REGENS, nisi tum natus in hac urbe fuisset CONSUL futurus. Ita prospectum à Fatis, ne cito periret Jubilæi memoria. Non morietur nuperi Veris solennitas, quæ vitam recipit in hoc Autumno. Ipse crescet Scholæ favor, si communem habeat plaudendi occasionem: Eiq; propior esse putabitur hæc sedes, quia propinqvam habuit nascendi sortem.

Sed ulterius vivat cum Gynnasio, cujus vita frui cupiunt nati ad imminens seculum furculi. Audiatur hoc nomen, ubi nunc Circulus annorum inchoatur novus, & sæpe redeat Scholastica hæc gratulatio. Tardè obliviscamur GIRISII, ac, ut oblivionis genuinum adsit remedium, diu superesse jubeatur. Patriam sustineat Consilio, juvet auxilio, firmet labore. Qui multis profuit, multis profit: quin & spem multis profuturam sustentet imposterum. Salva sit cum hoc SENIORE CONSULUM Triga. Semper sibi succedant, sero habeant Successores. Adsvetæ tantis NOMINIBUS Musæ, singulis annis repetant cantilenam: BENE GIRISIUM, BENE HARTIGIUM, BE-

NE

NE STOLLIVM exclament. Nam pulchra creditur consuetudo, quæ jam accessisse videtur ad pulcherrimum.

Ast qui talia precamur, invitandi jam officio sumus defuncti. Quippe si nemo repugnat votis, nemo contemnet Exercitia, votis consecrata. Aderunt PATRES CONSCRIPTI: nam quo merito deprædicentur CONSULES, ipsi spectant in Curia propius: Aderunt CIVES, quorum exemplo Magistratibus bene ominari discunt minores: Aderunt STUDIOSI, quorum interest vigere primarios studiorum Fautores.

Forte commendationi quicquam contribuet INSIGNIVM recordatio: siue Alas intueamur partim aureas, partim nigras, auro tamen distinctas; volare potius ad hanc pietatem decet, quam procedere: siue Leonem spectemus, vel Aquilam; festinationis & promptitudinis utrinque prostat Symbolum: siue Litera Z ex infimo fulgeat clypeo, non inchoatum in Templo, sed consummatum & finitum in Schola; pietatis officium probabitur. Ita pulchro demum gaudemus argumento, cuius sola mentio vicem habet Programmatis. Accedet tamen amandi nova causa, si, quem Exercitii statuerimus ordinem, describatur.

PROLOGORVM quasi provinciam suscipient Optimi Adolescentuli, blando inter se Dialogo, temporis felicitatem pensaturi, ipsum dicendi genus commendaturi, publicamque declamantibus gratiam exoraturi.

JOHANNES ADOLPHUS Stoll / Z.

JOHANNES JACOBUS ab Hartig / Z.

AUGUSTUS Just / Z.

ADAM FRIDERICUS Gerber / Z.

Inde ad justam Insignium contemplationem progressi Juvenes probatissimi, variam hieroglyphicæ sapientiæ partem explorabunt.

CASPAR TORNAVIUS, Gryphebergâ-Siles.

ex Insignibus colligi posse Religionis sinceram Constantiam dictitabit.

JOHANNES HEINRICUS Förster / Gorlicio-Luf.

Variam Regiminis mutationem in his provinciis, tum Regiam BOHEMORVM, tum Electoralem SAXONVM successionem, ex isto Insignium omine demonstrari, contendet.

JACOBUS CHRISTIANUS ADAMI, Luccâ-Lusat.

Regionis Fertilitatem, aliamque Civitatis Opulentiam designari probabit.

JOHANNES FRIDERICUS Förster / Marglisâ-Lusat.

Sedulam & Paternam Nobilissimi SENATUS Providentiam ex hoc Clypeo legi posse dicet.

JOHANNES CHRISTIANUS Zentsch / Zittâ-Lusat.

Studiorum & Literarum Florem, in hac Civitate servatum, inde cognosci statuet.

CHRISTIANUS Gottlob Hörnigk / Zittâ-Luf.

Elegiaco Carmine singulis applaudens vovendi captabit materiam.

Ita

FKye5003

Ita progressi denuo priores Adolescentuli, quemadmodum feliciter Exercitium hoc inchoarunt, de Colophone non minus felici cogitabunt.

CONSULIS Filius vota diriget ad SENATUM.

CONSULIS jam à Regimine discedentis & supremi SCHOLARCHÆ filius commendabit GYMNASIUM.

PRÆTORIS REGENTIS filius fausta ominabitur CIVIBUS.

CONSULIS REGENTIS, Templorumq; supremi Curatoris, ex Sorore Nepos, Statum observabit ECCLESIASTICUM.

Suspensa jam est hedera: quantum ea merx placuerit, in manu fortunæ positum est, vel ut Christiani rectius loquuntur, in ejus arbitrio, qui fortunam nutu suo dispensat: Qui, quo magis delectatur pietate, tanto benigniores radios precibus & acclamationibus indulgebit.

Sed ne in hac quidem expectatione nos deseret bonum omen, ex Insignibus petitum. Sex enim partibus componi totum hoc ornamentum constat: Supernè duabus Alis & coronatâ Galea; infernè tribus Clypeis, quibus inest Leo, Aquila, ultima Alphabeti litera. Quid sextus arguat numerus? Consulem habemus, sextâ jam vice Regentem. Quicquid ipsi debetur, sexies auditum est, & quicquid Civitas ab Eo sperat, sextuplici jam augmento non sperari denuo, sed haberi & possideri poterit. O Quantum beneficium, adesse VIRUM, cujus Experientia sextum superat gradum. Nam Prudentia sex documentis probata, sufficit fructui vel centuplici, votisq; vel infinitis. O utinam effulgeat omen, & sicut omne trinum, solenni proverbio, dicitur perfectum: omnis quoq; senarius, qui trinum bis continet, bis appelletur perfectus. Sic qui nunc Regiminis annum ingreditur sextum, postea nostris plausibus adducatur ad septimum, octavum, nonum, decimum. Nimirum id tanto fiat facilius, quo clariori exemplo Senior GIRISIUS numerum hunc implevit annorum. Attigerat is annum septimum & septuagesimum. Largiatur divina benignitas, ne infra hanc seriem collocari videatur FILIUS. Sint vota ter secunda & fausta. Schola, quæ sex dierum negotiis hebdomadale pensum absolvit, stellam sex radiis coruscantem intueatur; Benefactorem sex annis probatum commendet: sexcenta DEI beneficia comprecetur.

P. P. d. 26. August. M DC LXXXVI.



107

5. H. 31, 17.

Ye  
5003

Q. D. B. V.  
 OMINA FELICITATIS,  
 EX  
 INSIGNIUM ZITTAVIENSIS  
 CLYPEO  
 ad  
 NOVUM CONS

directa,



DECUS  
ET  
OMEN



KODAK Color Control Patches

Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

d. 27. Aug. M DC LXX

in  
 GYMNASIO ZITTA  
 publice proponentur.

Gratulatur, applaudit ac invitat

CHRISTIANUS WEISE, RECT.



ZITTAVIÆ,  
 TYPIS MICHAELIS HARTMANNI.

